



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

LXXXI. An & quis possit absolvere à suspensione à diuinis, quam incurrunt
Religiosi admittentes foeminas illicitè in Monasteria virorum ingredientes?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

da sint de declaratione pœnæ, non item criminis. Vide quæ de hac re satis dixi *dubit. 23. sect. 1. 2. & 3.*

Cæterum ad suspensionem à divinis incurrendam (cum sit censura) non requiritur aliqua iudicis sententia, sicuti dicebam *cir. dub. 23. sect. 2.*

DVBITATIO LXXXI.

An, & quis possit absolvere à suspensione à divinis, quam incurrunt Religiosi admittentes fœminas illicitè in Monasteria virorum ingredientiæ?

S V M M A R I V M.

- 1 *Episcopus potest absolvere à suspensione à divinis, quam incurrunt Religiosi admittentes fœminas illicitè in Monasteria virorum.*
- 2 *Item quilibet Confessarius ab Ordinario loci approbatus virtute Bullæ Cruciatæ toties quoties, contra nonnullos.*
- 3 *Item quicumque Confessarius Regularis virtute suæ Religionis privilegiorum, & etiam toties quoties potest absolvere.*
- 4 *Diffa de suspensione à divinis, dicuntur etiam de interdicto ab ingressu Ecclesiæ, quia etiam Interdictum est censura.*
- 5 *Absolvere ab excommunicatione Papa in hoc motu reservata dictum est dubit. 28. & 69.*

RESPONDETUR, & dico primò, si occulta illa sit, potest ab illa absolvere Episcopus, virtute Tridentini *sess. 24. cap. 6.* Vide *dubit. 28.*

2 Dico secundò, potest etiam absolvere quicumque Confessarius ab Ordinario loci approbatus, virtute Bullæ Cruciatæ; quia hæc concedit tali Confessario absolutionem ab omnibus censuris; & suspensio à divinis est censura, capite *quærenti, de verb. signif. quinimò contra Sorbum verb. ingressus Monast. Monial. in Annot. num. 11. & Rodrig. in Exposit. huius Motus, num. 34.* (qui sentiunt, posse eum absolvere tantum semel in vita, & semel in mortis articulo) potest absolvere toties, quoties: quia censura hæc suspensionis à divinis non reservatur in hoc Motu, & Bulla Cruciatæ concedit toties quoties absolutionem à censuris non reservatis. Merolla *tom. 1. disp. 1. cap. 2. diff. 10. num. 525. & Diana part. 3. tractat. 2. res. 66.*

3 Dico tertio, potest etiam absolvere quicumque Confessarius Regularis virtute suæ Religionis privilegiorum, & etiam toties quoties; quia virtute talium privilegiorum explicite conceditur Regularibus posse absolvere toties, quoties ab omnibus casibus, & censuris, & pœnis confurgentibus ex eis, præterquam à contentis in Bulla Cœnæ, & à specialiter reservatis ab Ordinariis locorum. Vide capite 14. *dubit. 18. sect. 6. & lib. de Parlament. dubit. 4. sect. 19. subsect. 32. per totam.*

4 Et quod dixi de suspensione à divinis, idem dico de suspensione, & interdicto ab ingressu Ecclesiæ (quæ censura sicuti dicebam *dub. 54. & 68.* incurritur à Prælati Monasteriorum Monialium absque causa iusta illuc ingredientibus) quia etiam interdictum est censura, *cir. c. quærenti, & non reservatur ibi, sicuti non reservatur hic suspensio à divinis.*

Cæterum, quoniam possit absolvere ab excommunicatione Pontifici in hoc motu reservata contra fœminas in Monasteria virorum illicitè ingredientiæ, vide *dubit. 28. & 69.*

DVBITATIO LXXXII.

An, & quis possit absolvere à suspensione in divinis, & cæteris censuris, etiam si deductæ sint in forum contentiosum?

S V M M A R I V M.

- 1 *Confessarius quicumque ab Ordinario approbatus virtute Bullæ Cruciatæ, & quicumque Regularis virtute privilegiorum suæ Religionis potest absolvere à suspensione à divinis, & cæteris censuris, etiam si deductæ sint in forum contentiosum.*
- 2 *Privilegium sine limitatione concessum non venit restringendum, sed potius ampliandum.*
- 3 *Absolutio concessa virtute Bullæ Cruciatæ, & Religionis privilegiorum non prodest pro foro externo, sed tantum pro foro conscientie, consequenter non infero damnum Ordinariis.*
- 4 *Privilegia Religionis, & Bullæ Cruciatæ non habent limitationem Concilij Tridentini; Episcopis enim concessio Concilij erat perpetua per viam statuti, & magis ampla, cum comprehendat fere omnes irregularitates, & omnes casus Sedi Apostolicæ reservatos: at concessio Bullæ & Religionis non est ita ampla, & perpetua.*
- 5 *Condemnatus, vel publicè diffamatus de hæresi etiam motu Sixti IV. non potest absolvi vigore Bullæ Cruciatæ, vel alterius privilegij generalis.*
- 6 *Sixtus IV. tantum prohibet absolutionem faciendam vi facultatum ab ipso, non item ab aliis Pontificibus concessarum.*
- 7 *Extranagans dicti Sixti IV. non amplius vires habet.*
- 8 *Dispensare quisnam possit in privatione officiorum, & inhabilitate ad illa in hoc motu Py V. statuti, dictum est dubit. 29.*

RESPONDETUR, potest similiter absolvere quicumque Confessarius ab Ordinario approbatus, virtute Bullæ Cruciatæ, & quicumque Regularis virtute privilegiorum suæ Religionis; quia in Bulla Cruciatæ, & in privilegiis Religionum conceditur absolute facultas absolventi à censuris sine vlla limitatione, si crimen non sit publicum, vel ad forum contentiosum non deductum; privilegium autem sine limitatione concessum, non est cur limitetur; cum potius, utpote favorabile, sit ampliandum, cum quia, cum Pontifex intendit facultatem absolventi, vel dispensandi limitare, si scilicet crimen est publicum, aut deductum ad forum contentiosum, solet explicare, sicuti patet in privilegio Episcopis concessio à Tridentino *session. 24. cap. 6.* ergo cum hanc limitationem privilegiis Regularium non adiecerit, signum est in contrarium, atque ita dicebam *lib. de Parlamentis dub. 4. sect. 19. subsect. 31. circa finem, & docent Merolla, & Diana in locis supra cit. Sotus in 4. dist. 22. art. 3. Covar. in cap. alma mater, 1. par. §. 11. n. 16. Ledesma 24. quæst. 26. art. 1. Henriquez lib. 7. de indulgent. cap. 13. num. 2. & lib. 8. de Eucharistia cap. 6. n. 4. Polancus in director. cap. 4. fol. 52. Angles 1. part. quæst. vnic. de excommunicatione, art. 4. diff. 2. Rodriguez in addit. ad Bullam, num. 49. §. 9. & Bonacina de claus. quæst. 1. punct. 5. num. 3. contra Sorbum loco supra cit. & nonnullos alios.*

Obiicies: dicta facultas absolventi, utpote inferens damnum Ordinariis & sic odiosa, potius est restringenda: ergo, &c.

Respondetur, nego antecedens, quia absolutio concessa virtute Bullæ Cruciatæ, & Religionis privilegiorum